

[...]

3.12.2

Imperator Constantinus . Omnes iudices urbanaeque plebes et artium officia cunctarum **venerabili die solis quiescant**. **Ruri tamen** positi agrorum culturae libere licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit, ut non alio aptius die frumenta sulcis aut vineae scrobibus commendentur, ne occasione momenti pereat commoditas caelesti provisione concessa * CONST. A. HELPIDIO. * <A 321 PP. V NON. MART. CRISPO II ET CONSTANTINO II CONSS.>

[...]

3.12.6

Imperatores Valentinianus, Theodosius, Arcadius . **Omnes dies iubemus esse iuridicos**.

1. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit **aestivis fervoribus mitigandis** et **autumnis fetibus decerpendis**.
2. **Kalendarum quoque ianuarium** consuetos dies otio mancipamus.
3. **His adicimus natalicios dies urbium maximarum romae atque constantinopolis**, quibus debent iura differri, qui et ab ipsis nata sunt, **sacros quoque paschae dies**, qui septeno vel praecedunt numero vel sequuntur, **dies etiam natalis atque epiphaniarum christi** et quo tempore **commemoratio apostolicae passionis** totius christianitatis magistrae a cunctis iure celebratur: in quibus etiam praedictis sanctissimis diebus **neque spectaculorum copiam** reseramus.
4. In eadem observatione numeramus et **dies solis, quos dominicos rite dixere maiores**, qui repetito in se calculo revolvuntur.
5. Parem necesse est habere reverentiam, ut ne apud ipsos arbitros vel a iudicibus flagitatos vel sponte delectos ulla sit agnitio iurgiorum, nostris etiam diebus, qui vel lucis auspicia vel ortus imperii protulerunt.
6. **In quindecim autem paschalibus diebus compulsio et annonariae functionis et omnium publicorum privatorumque debitorum differatur exactio.** * VALENTIN. THEODOS. ET ARCAD. AAA. ALBINO PU. * <A 389 D. VII ID. AUG. ROMAE TIMASIO ET PROMOTO CONSS.>

[...]

3.12.8

Imperatores Honorius, Theodosius . Provinciarum iudices moneantur, ut in quaestionibus latronum et maxime isaurorum nullum **quadragésimae** nec venerabilem **pascharum diem** existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quae per latronum tormenta quaerenda est, cum facillime in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus et incolumitas procuratur. * HONOR. ET THEODOS. AA. ANTHEMIO PP. * <A **408** D. V K. MAI. CONSTANTINOPOLI BASSO ET PHILIPPO CONSS.>

3.12.9

Imperatores Leo, Anthemius . Dies festos, dies maiestati altissimae dedicatos **nullis** volumus **voluptatibus** occupari **nec** ullis **exactionum vexationibus** profanari.

1. **Dominicum** itaque **diem** semper honorabilem ita decernimus venerandum, ut **a cunctis exsecutionibus** excusetur, nulla quemquam urgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit idem dies a cognitionibus alienus, praeconis horrida vox silescat, respirent a controversiis litigantes, habeant foederis intervallum, ad se veniant adversarii non timentes, subeat animos vicaria paenitudo, pacta conferant, transactiones loquantur.

2. **Nec** tamen haec religiosi diei otia relaxantes **obscaenis** quemquam patimur **voluptatibus detineri**. Nihil eodem die sibi vindicet **scaena theatralis** aut **circense certamen** aut **ferarum lacrimosa spectacula**: **etiam si in nostrum ortum aut natalem celebranda sollemnitas inciderit, differatur**

3. Amissionem militiae, proscriptionem patrimonii sustinebit, si quis umquam hoc die festo spectaculis interesse vel cuiuscumque iudicis apparitor praetextu negotii publici seu privati haec quae hac lege statuta sunt crediderit temeranda.

* LEO ET ANTHEM. AA. ARMASIO PP. * <A **469** D. V ID. DEC. CONSTANTINOPOLI ZENONE ET MARCIANO CONSS.>

Graziano

De consecratione, distinzione III

C. I. Tempora feriandi in missa sunt laicis annuncianda.

Item ex Concilio Lugdunensi.

I. Pars. Pronunciandum est, ut sciant tempora feriandi per annum, id est: omnem dominicam a uespera usque ad uesperam, ne a Iudaismo capiantur. Feriandi uero per annum isti sunt dies: Natalis Domini, S. Stephani, S. Iohannis Euangelistae, Innocentium, S. Siluestri, Octauae Domini Theophaniae, Purificatio S. Mariae, sanctum Pasca cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, S. Iohannis Baptistae, duodecim Apostolorum, et maxime sanctorum Petri et Pauli, qui mundum sua predicatione illuminauerunt, S. Laurentii, Assumptio S. Mariae, Natiuitas S. Mariae, Dedicatio, S. Michaelis Archangeli, Dedicatio cuiuscumque oratorii, et omnium sanctorum, et S. Martini, et illae festiuitates, quas singuli episcopi in suis episcopiis cum populo collaudauerint, quae uicinis tantum circummorantibus indicendae sunt, non generaliter omnibus. Reliquae uero festiuitates per annum non sunt cogendae ad feriandum, nec prohibendae. Indictum uero ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur.

C. II. In sanctorum solemnitatibus diuinis offitiis, non saltationibus uel cantilenis, populi debent uacare.

Item ex Concilio Tolletano IV. [c. 23.]

Irreligiosa consuetudo est, quam uulgus per sanctorum solemnitates agere consueuit. Populi, qui debent diuina offitia attendere, saltationibus turpibus inuigilant cantica, non solum mala canentes, sed et religiosorum offitiis perstrepunt. Hoc etenim, ut ab omnibus prouinciis depellatur, sacerdotum et iudicum a concilio sancto curae committitur

[...]

C. XI. Quo tempore ab esu carniū sit abstinendum.

Item Leo IV.

II. Pars. De esu carniū apud nos uetustissima, et non improbanda traditio semper tenenda est, ut a cenae termino, quae fit in principio noctis quartae feriae, quae lucescit in quarta feria, usque in diluculum quintae feriae, et similiter a cena noctis sextae feriae, quae lucescit in sexta feria, non inperite ieiunatio usque ad sabbati lucem, quantum

de diei parte aliquis ieiunare maluerit uel debuerit, protendatur.

[...]

C. XII. Nec die sabbati feriandum, nec die dominico lauacrum est prohibendum.

Item Gregorius dilectissimis ciuibus Romae.

[lib. XI. epist. 3.]

III. Pars. Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines praua inter uos aliqua et sanctae fidei aduersa seminasse, ita ut in die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi predicatorum dixerimus? qui ueniens diem sabbatum atque dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi uult in ueneratione dominicum diem; et quia populum iudaizare conpellit, ut exteriorem ritum legis reuocet, et sibi Iudeorum perfidiam subdat, coli uult sabbatum. §. 1. Aliud quoque ad me perlatum est, uobis a peruersis hominibus esse predicatum, ut dominico die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria et pro uoluptate lauari quis appetit, hoc fieri nec reliquo die quolibet concedimus. Si autem pro necessitate corporis hoc nec die dominico prohibemus.